

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

26. Menstrua Veget. de 3. individuis Lulli

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](#)

26. Menstruum vegetabile simplex de
tribus individuis Lullii ,

In Experim. XXV.

R. **A** quam vitæ summoperè acutam , quæ pannum lineum comburat , quam iterum transmitte per alembicum , ut sit perfectè rectificata . Mox accipe salem chelidoniae , salem de sanguine humano , salem de melle extractum , uti habes supra in suis Experimentis , quos omnes sales constitue simul in urinale (cucurbita) & in singulas uncias istorum salium superinfunde quaternas uncias Aquæ vitæ supradictæ , claude cum suo antenotorio (alembico cæco) & superposito alembico , annexo recipiente , juncturis optimè clausis , destillabis per cineres , & transmitte sales cum Aqua pariter . Si quid remaneat , iterum illi infunde suam aquam destillatam ; cumque totum fuerit transactum iterum novum infunde salem , unam scilicet unciam , ac per alembicum ut supra , transmitte ; Tertiò iterum alteram unciam salis adjunge ut supra , & destillabis iterando hoc magisterium ter , singulis vicibus novum salem adiungendo . His peractis Aquam hanc pone ad circulandum in vase alto & angusto per 50. dies naturales . Illud tamen adverte , ne vas ullo pacto respiret . Cum verò ad finem circulationis perveneris , in fundo vasis videbis hypostasin instar urinæ sani viri , quæ erit albâ . Completa ergo circulatione Aquam evacuando transferas cautè in aliud vas mundum , ac cave , ne cum Aqua hypostasis transeat , sed restet in fundo vasis . Claude vas aquæ circulatæ ne respiret , & in Balneo serva .

Preparatio salis Chelidoniae extat in Experimento quarto .
Tunc cineres Chelidoniae mense Maio in plenilunio cum suis radicibus & floribus collectæ in vase vitro pone , & Aquam chelidoniae destillatam per B. superfunde , ut inde salem elicias , & in igne cinerum lentissimo ferreat per duas horas : Dissolutionem evacuando transferas in aliud vas , terram verò insolutam desiccabis , & refrigerato vase triturabis , superinsundendo novam aquam , iterum super cineres , ut supra , ferre facias , ac ipsam

sam dissolutionem, ut suprà, decantabis. Hoc autem magisterium itera toties, quoque totum inde salem extraxeris, quae est pars mercurialis ipsius individui. His ergò peractis, accipe omnes illas dissolutiones, quas per filtrum vel lineum pannum transmitte, ut à terrestreitate purgentur, deinde per Balneum congelabis destillando. Nam transacta humiditate in fundo vasis remanebit mercurius sive sal albi coloris, quem salem debes solvere ac vicissim congelare ter, atque hoc pacto ex hac materia mercurium extraxeris, qui virtutes propè innumerabiles habet acuendi spiritum vegetabilem à vino extractum, & potestatem habet dissolvendi cuncta metalla cum conservatione ipsorum formæ vegetativæ & germinativæ.

Sal sanguinis humani fixum ita præparatur in Experimento undecimo. R. Sanguinem extractum ab hominibus sanis & cholericis, illumque pone in tabula nitida & sic permitte fieri, ut phlegma separetur; ab eo postea accipe ipsum sanguinem, & eum quam optimè tritura, & pone in bociam, & lento igne aquam destilla, quam destillatam seorsim servabis, & aucto aliquantulum igne, sed non admodum intense, ne forte sublimetur sal, sed solum humiditas atque oleum superfluum exhalet, donec non amplius destillabit: Postea frigefacto vase accipe terram combustam, quam loca in vas, & firmiter clade, ne respiret. Nam respirando evanesceret in fumum, pone vas in furnum reverberationis, sed ignis debet esse temperatissimus, ut sal istius materiæ, qui volatilis est & non fixus, non exhalet, & ne violentia ignis vas frangatur, ut nobis accidit, & stet materia in isto gradu ignis per duos dies & calcinabitur. Quo facto vas frigescat, & frigefactum aperiatur, & super calcinatam materiam infunde suum phlegma, id est, aquam quam in principio destillasti, permitte super cineres fervescere per duas horas, ut aliqua pars dissolvatur, & quod dissolutum fuerit, decanta in aliò vase, atque iterum cum nova aqua fac, ut suprà, & sic reitera, donec totum sal extraxeris: Postea aquam per Balneum destillando removeas, & remanebit in vase sal niveus, habens virtutes pluriimas, & si cum eo vegetabilem ignem acues, dissolvet procul dubio duo lumaria cum conservatione ipsorum formæ vegetativa: Et cum eo ipso fieri poterit excellentissimum aurum potabile pro conservando radicali humido in hominibus, & ad expellendum plures aegritudines.

Ex-

Experimentum tertium docet præparationem salis mellis hoc modo. R. Mel novum, quod sit album & cum favo conjunctum, illud autem constitue in vase vitro ad putrefaciendum per 60 dies, deinde destilla, &c. postea R. Terram (*caput mortuum*) quæ remanserit in urinali, atque illam perfectè trituratam in vase terreo collocabis, quod sit ex creta valentina, vel ex ea, ex qua fabricantur crucibula, vel si hoc vas habere non poteris, constitue eandem Terram intra gemina crucibula, alterum alteri annexa, & quam optimè clausa. Post statue in furno reverberationis vel vitriorum, atque ibi permaneant quatuor aut quinque dies, ita ipsa albescet Terra. Sed si hoc opus feceris in furno reverberationis, adverte, ne sit ignis nimis violentus: Sic enim ipsa terra evanesceret, & si ignis debilis esset, nunquam calcinaretur: Mediocri ergò igne opus est. Sic nullus error potest contingere ut nobis accidit. Nam cùm hoc opus inchoaremus, violentiā ignis totam terram amissimus. Sed ad rem: Postquam hæc Terra, ut prædictum est, calcinata fuerit, frigefacto vase extrahes ac trituras, illi postea superfunde aquam, quam destillasti per Balneum, & finas materiam super cineres per duas horas fervere, atque in aliud vas transfunde, evacuando aquam ab ipsa Terra, quam Terram lento igne desiccabis. Super eosdem cineres superfunde novum phlegma, ac fervescat, ut suprà, decantabis evacuando, & conservando, ut suprà, dissolutionem corporis, atque hoc pacto magisterium toties iterabis, donec extrà ipsum totum salem pretiosissimum evacuaveris, & in aquam transfergeris. Postea accipito omnes illas dissolutiones, & per pannum lineum nitidum transmitte, quam aquam per Balneum destillabis, tandem in fundo vasis salem pretiosissimum habebis vel mercurium vegetabilem. Quo facto, scias pondus dictæ congelationis seu salis, ac illi superinfunde tertiam partem aquæ, quam servassi superius, & quam rectificasti septies per cineres (*aquam acidam mellis*) & occlude vas cum suo antenotorio, & pone in balneo per quinque dies, deinde amoto antenotorio & apposito alembico, temperato igne exhalabis destillando humorem, qui destillari poterit, qui erit insipidus, nam virtutem & acetositatem ipsius aquæ accipit & secum retinuit ipsa terra. Deinde iterum nova aqua, ut prius imbiibe ipsam terram, & reiterando magisterium, imbibendo, digerendo, destillando toties, ut suprà, quoisque terra

terra ad se traxerit & imbibiterit suam aquam. Atque ita auxilio Dei vivi verè habebis salem vegetabilem extractum ab hoc individuo, quod sal est pretiosissimum, ac potestatem habet acuendi mercurium vegetabilem & dissolvendi duo luminaria, cæteraque omnia metalla imperfecta: Et cum hoc ipsa metalla reduci possunt in suam primam materiam.

Hisce salibus pro hoc Lullii mensruo requisitis addam Experimentum quintum, quod de Portulaca marina, Apio Sylvestri, Squilla, Euphorbio, Pyrethro, Roremarino, herba Mercuriali Solatro, Oliandro, &c. alcalia preparare docet, quibus omnibus mercurium vegetabilem ex Vino extractum acuere poteris conjunctim vel separatim.

Non hujusmodi menstrua solummodo fiunt ex alcalibus vegetabilium sed conficiuntur etiam ex salibus mineralibus, qualia sunt sal commune, gemmæ, alumini, &c. Ita fit

27. Circulatum minus sive Aqua salis Circulati Paracelsi,

Lib. X. Archidox.

R. **V**erum Elementum aquæ, vel ejus loco aliud sal, quod nondum planè ad siccitatem coctum sit, vel etiam sal gemmæ depuratum, affunde partes duas aquæ, mixte cum modico Raphani succo, putrefac in digestione accurata, quod longius eò melius; sine postea congelare, & putrefac denuò per mensem, deinde per retortam destilla, residuum per ignem validum urge, ut fluat, reverbera in retorta, igne continuo, solve in marmore, aquam hinc desuentem affunde desuper, & putrefac iterum, destilla denuò usque ad oleositatem, conunge cum spiritu vini (*Phil.*) & impurum decidet, quod separa, purum verò in frigido cristallisetur, affunde iterum destillatum, & toties cohoba, donec oleum fixum in fundo remaneat, & nihil dulce postea transgrediatur. Digere porrò per mensem, deinde destilla tamdiu, donec Arcanum talis per alembicum transcendat. Nec pœniteat diutini laboris, namque hæc est tertia pars omnium Arcanorum, quæ in metallis & mineralibus